

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1026

1024

1030

1020

1035

1015

1075

0975

0925

0525

0025

Ende

Anfang

453

Cumque per praeceps adscenderemus et ad montis ardua venissemus, defecerunt peregrini illi debiles nec procedere poterant et mox reducti deorsum in monasterium (sunt.) Nos vero processimus ascendentes per lapideos gradus, qui ibi sunt a monachis facti, cum sine eis nemo ascendere posset propter praecipitem clivum et rupium altos parietes. Est enim ibi montis crepido obscura et horribilis, per cuius medium inter rupium parietes gradus sunt locati, per quos tamen nemo pedentem ascendere potest, sed reptando manibus et pedibus, sicut Jonathan ascendit 1. Reg. XIV. Conscendentibus ergo nobis ecce fons vivus mox obvius fuit, qui ab initio ibi miraculose emanavit, ex caussa, quam paulo post infra dicam. Et quamvis adhuc jejuni essemus, de fonte tamen bibimus, quia sudavimus ex labore et sitivimus.

Consequenter procedentes (44 a) per montis crepidinem viam asperrimam atque oppido [?] saxosam venimus ad capellam, quae beatae Mariae titulo venerabilis habetur in memoriam subscriptae rei fundatam, juxta quam in tugurio capellae annexo habitat frater unus de monasterio, qui ostium capellae nobis aperuit. Cum autem capellam ingredieremur, frater Nicodemus, ductor noster, originem illius capellae et fontis nobis dixit italica locutione sub hac historia. Quodam tempore serpentes, viperae, busones et alia animalia venenosa adeo in monasterio et per ejus circuitum multiplicata increverunt, quod monachi penitus non poterant ibi morari, et decreverunt, locum deserere et monasterium derelinquere et ad alium locum securum et mundum se transferre. Die ergo constituto convocavit abbas monachos omnes et indixit processionem cum maturitate et devotione fiendam ad montem sanctum Synai, et peracta visitatione montis sancti transmigrationem a loco illo insinuavit. Acceptis ergo crucibus et reliquiis cum cantu ascenderunt in montem sanctum usque in ejus cacumen, ubi legem et tabulas de manu Dei accepit Moyses. Deoscultatis ergo cum lachrimis locis sanctis descenderunt tristes, quia invitissime a loco illo et monte emigrabant, a quo tamen illo die cum omnibus monasterii rebus migrare intendebant compulsi predicta necessitate. Cum autem ad locum hujus capellae descendendo venissent, ecce subito splendor ingens

